



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis


Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Primvs Dies.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

P R A X I S
 E T
 BREVIS DECLARATIO
 EXERCITIORVM
 SPIRITVALIVM
 S. P. N. IGNATII.



PRIMVS DIES.

Instructio pro Meditatione.



EDITATIO, velut omnes res naturales & artificiosæ, habet materiam, formam, finem, & causam efficientem.

PRIMO. Materia Meditationis est, historia vel puncta circa quæ Meditatio instituitur. Circa quod aduerte,
 I. Quòd

1. Quòd debeat materia ea esse accommodata fini quem quis profectur : verbi gratiâ , qui contritionem quærit, meditari debet de fuorum peccatorum multitudi- ne , eorumque fœditate & grauitate ; & fic in aliis rebus. Et ideò S. P. nofter diuifit materias ordinarias Meditationis in quatuor Hebdomadas , congruenter fini quem in iis præ tendit.

2. Quòd materia debeat effe præparata antequam orationem quis aggrediatur ; quia nullus artifex laborem fuum aggreditur , nifi ad manum habeat materialia. Materiam autem præparare , eft eam legiffe , & memoriæ mandaffe ; ita vt antequam orare incipiat , poffit eam intelligere , & Exercitium quod aggreditur repetere , vt dicitur in primâ Additione : & eadem materia diuidenda in certum punctorum numerum ; vt dicitur in tertiâ Annotatione quartæ Septimanæ.

3. Quòd frequenter debeant renouari puncta ; materia enim eft copiofa ,
&

& hinc deficere non potest, & nouitas gustum attentionemque in Meditatione excitat : è contrario , importunè diu vni puncto insistenti solet creari fastidium; quod prouenit ex negligentia, quâ nouam non parat Meditationem, vnde plurimarum horarum & temporis in Meditatione iacturam facit.

SECUNDO. Finis Meditationis est, fructus ille quem inde colligere volumus: qui plerumque tertio præludio comprehenditur, quo eum quis à Deo petat, & eò tota Meditationis vis dirigatur. In eo autem ordinem à sancto Patre nostro in suo Libello præscriptum seruare, in nobis excitando proposita & conclusiones illo quo ipse præscribit modo, diximus suprâ, hoc esse propriè orare secundum Exercitia.

TERTIO. Forma Meditationis est, modus in ingressu ad eam, & progressu, eiusque conclusione seruandus. Et licet varij sint orandi modi, de quibus sanctus Pater noster in suo Libello;

lo; maximè tamen ordinarij sunt tres, qui docentur in primâ Septimanâ: primus, secundùm tres potentias; secundus, repetitio; tertius, applicatio sensuum.

Exercitium trium potentiarum est magis naturale, & ordinario hominum agendi modo conforme: quia in eo docemur agere cum Deo de animæ nostræ negotiis, eodem modo quo negotia temporalia cum hominibus tractare solemus; idque secundùm quasdam valdè communes & simplices regulas, quas omnes intelligere possunt: sicque modus ille orandi est fundamentum ceterorum, qui exerceri non possunt nisi per tres potentias, quæ nostræ sunt manus & pedes. Alios enim quibus ad Deum proficiscamur pedes, aut alias quibus Deum amplectamur manus, non habemus.

In isto orandi modo, postquam in Dei Domini nostri præsentia nos collocauerimus, certi de negotio, & cum
quo

quo illud nobis tractandum fit, & liberaliter nos ad diuinum obsequium per Orationem præparatoriam obtulerimus; Primò attendere debemus ad id de quo meditari volumus, in memoriam reuocantes eam historiam, aut eius partem, quam parauimus. Secundò, locum dare conuenientem toti historiæ circa nos ipsos, statuendo singulas personas & earum situm in aliquo certo loco, quem imaginatione nobis præscribimus; quod vocant compositionem loci. Tertiò, nobis ob oculos ponere fructum quem colligere volumus, tamquam scopum ad quem in Meditatione collimamus; & à Deo gratiam petere, vt eum obtineamus. Et hæc circa tria præludia.

Sequitur Meditatio in Exercitiis trium potentiarum circa eandem materiam; hoc est, reducendo in memoriam punctum de quo meditari volumus; intellectu discurrendo, & quaerendo rationes circa idem, quæ conuenientes sint ad nos mouendos ad finem quem

quem quærimus; & per easdem rationes in voluntate pios affectus, quos desideramus, excitando: & tandem cum Deo colloquamur, ei gratias agendo, cum petitione eius quod affectui, quem sentire vel percipere desideramus, conforme est.

Finis istius modi orandi est, viam aperire, vt diximus, internæ cum Deo conuersationi, & rationem agendi cum hominibus transferre ad conuersationem cum Deo, vtendo potentiis nostris in animæ negotiis, quemadmodum eas impendere solemus negotiis corporis. Et sicut cum de temporali aliquo negotio agimus, primò intentum nostrum seu finem proponimus, & mox variis rationibus & argumentis discurremus, quò alterius moueamus voluntatem ad id quod prætendimus: sic in negotiis animæ, primò proponimus punctum, aut historiam de quâ meditamur; & illicò intellectus rationes quærit & motiua, similitudines & argumenta, quibus voluntatem moueat excitetque ad
ea

ea proposita & desideria quæ quærit.

Et ille orandi seu meditandi modus, vt diximus, est magis naturalis, & fundamentum ceterorum; & quo incipientes maximè vti debent, donec ad altiorem orationis gradum introducti fuerint: quia in initiis generaliter non colliguntur suaues illi voluntatis fructus, si priùs discursu & intellectu laboratum non fuerit.

Secundus orandi modus est Repetitio: quæ eadem habet præludia, & eundem modum potentias animæ exercendi, quem superior; differt tamen in duobus. Primò, in materiâ: quæ quidem est eadem, sed ex punctis propositis tantùm eligenda sunt ea, in quibus maiorem quis percepit consolationem. Secundò, in colloquijs. Fiunt enim in Repetitione tria; vnum ad D. Virginem, secundum ad Christum Dominum nostrum, tertium ad Deum Patrem; vt videre est in Libello. Finis huius modi orandi est, magis cordi imprimere sensa diuina: ideò fit

D
eorum

eorum repetitio. Primò, quò, tamquam clauus malleo, fortiùs infigantur, vt firmiùs hæreant. Secundò, vt quis se magis exerceat in affectibus excitatis ; atque ideò fit meditatio de rebus iam aliàs in Meditatione cogitatis ; ficque minus habet laboris intellectus, & faciliùs multiplicari possunt colloquia. Et hæc causa est, quòd in Exercitiis hic orandi modus accommodetur tertiæ horæ, postquam primam & secundam meditando transegerimus.

Tertius orandi modus est, Applicatio sensuum imaginariorum absque discursu, cum simplici attentione audiendo, videndo, amplexando, & osculando loca cum omni reuerentiâ ; gaudento cum animi attentione, vt solet quis gaudere, quando res amata præsens est, & à sensibus percipitur : quod non tantùm vsuuenit in rebus sensibilibus & corporalibus, sed etiam in spiritualibus, gustando nempe suauitatem Dei, & se fragrantia odoreque virtutum recreando.

Finis

Finis huius Orationis est duplex.
 1. In rudioribus, qui intellectu multum discurrere, & materias penetrare non possunt; sed cum simplici affectu in illis exterioribus apparentiis sensuum quiescunt. 2. In illis qui multum intellectu discurrerunt, & materiam penetrarunt; ut aliquantulum quiescant, & à discursuum labore cessent, magisque accedant ad contemplationem rerum, de quibus meditati sunt, cum affectu & simplici rerum istarum intuitu. Et ideo ille orandi modus ponitur in ultimâ diei horâ, quia, postquam in Meditatione tribus animæ potentiis laboravit, maioremque in Repetitione notitiam & affectum acquisiuit, magis aptus est, ut simpliciter in iisdem punctis notitiâ & affectu quiescat. Extra tempus Exercitiorum, quando non suppetunt tot horæ Meditationis, exercere se possunt in tribus illis orandi modis, biduo vel triduo consequenter meditando ordinario modo de aliquibus punctis; alium diem capiendo pro repetitione aut sensuum

52 PRAXIS ET DECLARATIO
suum applicatione. Et hoc est quod ad
formam Meditationis attinet.

QVARTO. Causa efficiens sunt
tres potentiae quae hoc Exercitium
perficiunt, discurrendo, & intellectu
cognoscendo, voluntateque profe-
quendo aut fugiendo. Intellectus saepe
solet turbari & impediri distractio-
nibus & mentis euagationibus; & volun-
tas siccitate, ariditate & duritia in bo-
nis affectibus. Ad recolligendum intel-
lectum non iuuat vis illata capiti, nec
voluntatem iuuat vlla vis illata pecto-
ri: omnis enim attentio, seu deuotio,
vi expressa, spiritui parum utilis est, &
multum obest corpori, terretque &
auocat ab exercitio Orationis.

Vt autem quis sensus in euagationi-
bus & distractionibus colligere possit,
iuuabunt sequentia.

Primò, Collectio sensuum extero-
rum, & praecipue visus, auditus & lin-
guae, abstinendo praesertim à risu, &
narratione rerum ridicularum; vt bene
dicitur in Additione 8. & 9. Vana enim
hilaritas

hilaritas compunctioni, quæ mater est deuotionis, contraria est.

Secundò, Contineat se quis in suo cubiculo, ianuam fenestrasque claudendo, quò se omni claritate priuet, eam tantùm admittendo pro rebus necessariis; vt notatur Annotat. 20. & Additione 7.

Tertiò, Præscindendo filum omnium occupationum exteriorum, & maximè earum quibus se libenter & cum gustu detinere solet, quamuis eæ laudabiles & bonæ essent; vt studium, &c. vt fusè dicitur in Annot. 20. Solitæ enim illæ & notæ occupationes animæ sensim & sine sensu vires exsurgunt, omnemque attentionem suffurantur. Et licet ea negotiorum & occupationum exclusio morosam eam solitudinem reddat, causetque tristitiam; suauiter tamen in fine reducit ad sinceram occupationem & recreationem in Exercitiis.

Quartò, Valdè iuuat, præcisè seruare distributionem temporis, occupatio-

nes Exercitiaque certis temporibus applicando.

Quintò, Parare se ad Meditationem, antequam quis illam aggrediat, certum tempus materiæ prævidendæ præfiniendo, potentias suas colligendo, easque ad propositum orationis applicando; sicut dicitur in Annotatione 1. & 2.

Sextò, Integram Orationem facere, nec in aliquo deficere; hoc est cum Oratione præparatoriâ, punctis, præambulis & colloquiis: quando enim quis sollicitus est, ut Orationem in omnibus suis membris perfectè perficiat, distractiones illæ prolixæ esse non possunt.

Tandem, Patienter ferat istam cogitationum pugnam, eas ad scopum suum, cum se distractum animaduertet, reuocando. In quem finem, multum eum iuuabit diuisio illa præambulorum & punctorum; sciens enim unde cogitationes discesserint, videbit facile quò reuocare debeat, super omnia verò lux Christi Domini, quando eam
ipse

ipse largiri dignabitur, omnes has distractiones tollet, nosq; quietos reddet.

Voluntas, quando se siccam aridamque senserit, iuuabitur

Primò, Eo quod in Annotat. 5. dicitur: *Mirum in modum iuuatur qui suscipit Exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium & arbitrium suum offerat suo Creatori; ut de se suisque omnibus id statuatur, in quo ipsi potissimum seruire possit iuxta eiusdem beneplacitum.* Quæ dispositio est vnus ex præcipuis fructibus, vt dicemus, qui in Meditatione de fundamento quæri debent.

Secundò, Iuuabit etiam, si non multum solliciti simus de consolatione spiritali, nec multum desolationes timeamus; in hoc tantum incumbentes, vt Dei voluntatem intelligamus, quò illam compleamus: nobis persuadentes, quòd quacumque Deus nos ducere, & quomodocumque nos tractare voluerit, semper in viâ diuini seruitij progredi poterimus.

D 4 Tertiò,

Tertiò, Vfus tertij præludij; vt nempe Deum oremus, gratiam nobis largiatur obtinendi quod petimus; eam petitionem idemque desiderium in ipso Orationis decursu subinde renouantes.

Quartò, Colloquiorum frequentior vsus, mirum quàm solidè in molestâ illâ siccitate & ariditate superandâ iuuare soleat: animum enim ea fortiter accendunt, bonosque affectus excitant.

Tandem, Iuuabit multùm vsus pœnitentiarum, aliquam semper ordinariæ addendo; quando nempe ariditas illa nobis molesta est, vt dicit S. P. noster in Reg. 6. inter primas de discretione, & in Addit. 10. vt mox dicemus. Super omnia iuuabit, animum non despondere, nec fatigari, nec Exercitium aliquod orationis deserere, certò nobis persuadendo, fore, vt lucem & misericordiam, si perseuerauerimus, à Deo impetremus.

MEDITATIO
DE FVNDAMENTO.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri
sic habet :

Creatus est homo ad hunc finem,
vt Dominum Deum suum lau-
det ac reuereatur, eiq; seruiens tandem
saluus fiat. Reliqua verò supra terram
sita, creata sunt hominis ipsius causâ,
vt eum ad finem creationis suæ profe-
quendum iuuent; vnde sequitur, vten-
dum illis, vel abstinendum eatenus esse,
quatenus ad prosecutionem finis vel
conferunt, vel obsunt. Quapropter de-
bemus absque differentiâ nos habere
circa res creatas omnes (prout liberta-
ti arbitrii nostri subiectæ sunt, & non
prohibitæ,) ita vt, quod in nobis est, non
queramus sanitatem magis quàm egri-
tudinem; neque diuitias paupertati, ho-
norem

norem contemptui, vitam longam breui præferamus: sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quæ ad finem ducunt, eligere, ac desiderare.

MEDITATIO

CIRCA FVNDAMENTVM.

HÆC Meditatio diuidi potest in quatuor puncta; vnde tres fructus colligi possunt, in quos oculos conijcere, & ad quos obtinendos exercitium hoc huius diei dirigere debemus. Vocatur *principium*: quia in eo, quæ tale est, includuntur resolutiones, quæ post fusiùs declarabuntur. Vocatur *fundamentum*: quia super eo assurgit totum vitæ spiritualis ædificium.

PRIMUM PUNCTVM. Prima quæ hominem tenere debet cura est, scire in quem finem creatus sit, & sollicitum esse vt illum acquirat. Finis, propter quem Deus hominem creauit, est

Primò, Vt eum laudet & glorificet corde, ore, & opere, omnia ad maiorem
Dei

Dei gloriam & laudem dirigendo ; & vt alij hoc videntes , Deum etiam laudent & glorificent.

Secundò, Vt omnem ei reuerentiam honoremque exhibeat, eumque Deum suum agnoscat : quod fit præcipuè actibus fidei, spei, & charitatis, firmiter credendo totum quod reuelauit ; sperando quod promisit ; illumque tamquam summum & infinitum bonum , & vltimum finem amando.

Tertiò , Vt ei seruiat obediatque tamquam legitimo suo Domino , eius mandatis in omnibus rebus obsequendo , & tandem fruatur vitâ æternâ in cælo . & hoc est quod vult dicere , *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex totâ animâ tuâ , &c.*

SECVNDVM PVNCTVM. Deus totam creaturarum vniuersitatem in obsequium & seruitium hominis creauit. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.* Aliquæ creaturæ conditæ sunt vt hominem sustentent ; aliæ vt eum vestiant;

stiant; aliæ vt eum curent; aliæ vt recreent: & vsque ad ipsos Angelos, quos Deus constituit vt sint quasi directores, pædagogi, magistri, custodes & protectores hominum. Et velut parens, qui filium ad Vniuersitatem mittit, abundè ei de necessariis prospicit, non vt lusibus ea dilapidet, sed ne aliquid ei desit, quò minùs studia quàm commodissimè prosequatur; quæ eius vnica mens & intentio est. Vel sicut Rex, aliquos è Nobilibus aut subditis suis ad Aulam suam euocans, iis de omnibus quæ itineri conficiendo opportuna sunt prouidet, verbi gratiâ de equis, rhedis, aut lecticis, si terrâ iter faciendum; vel si mari, de omni nauium genere: non sanè vt ij illis se tantùm recreent, sed vt commodiùs & quàm celerrimè iter peragant, & ad Aulam perueniant. Sic, quòd à Deo omnia ad hominis obsequium facta creataque sint, factum est, vt illis ipse vtatur ad finem suum, propter quem creatus est, meliùs consequendum, qui est maior
gloria

gloria & obsequium Dei; eoq̄ue omnium istarum creaturarum vs̄um referat, illum in omnibus, & omnes in illo, secundum sanctissimam eius & diuinam voluntatem amando. Et ea tum à recto suo fine diuertitur intentio, quando nos ipsos, aut aliquam creaturam non ad maius Dei obsequium quærimus. Hoc ergo die nos exercere debemus in bonâ huius intentionis directione. Et hic est primus fructus ex hac Meditatione colligendus.

TERTIVM PUNCTVM. Hinc colligendum, quòd, quantum nos creaturæ ad finis nostri consecutionem iuuant, tantum eis vti debemus; & eatenus eas repudiare, quatenus nos à dicto fine auocant. Omnes quidem creaturæ bonæ sunt suo tempore, & propter finem ob quem à Deo conditæ sunt; verum non omni tempore eæ bonæ sunt, nec omni occasione, nec omnibus personis. Velut omnis generis diuersorum artificum instrumenta variis vs̄ibus seruiunt, verum illa magister, aut artifex
in

in manus accipit, quæ suo operi conueniunt: & si in eorum delectu & usu eum errare contigerit, grauissimum sibi damnum inferet. Omnes cibi licet boni sint, non tamen omnium stomachis, nec omni tempore conueniunt. Sicut etiam omnis generis pharmaca, quæ in pharmacopœorum prostant officinis, quamuis salutaria, non omnibus morbis conueniunt: sic etiam, quamuis creaturæ omnes bonæ sint; necessaria tamen est in earum usu & electione discretio & prudentia. Quare Regula in earum usu reiectioneque obseruanda, est vltimus finis ad quem sumus creati. Et notandum hîc, quod in toto hoc Tractatu creaturarum nomine intelligantur, quæ in quarto Puncto vocantur diuitiæ, paupertas, honor, sui contemptus, salus, infirmitas, longa aut breuis vita, &c. illa enim sunt, in quibus ordinariè creaturis vtimur, vel abstinemus.

In hoc tertio Puncto fundatur secundus, qui ex hoc Exercitio fructus colligi

colligi debet, qui est perfecta sui notitia; hoc est, incipere inordinationem actionum suarum perspectam habere, eò quòd contra ordinem nos creatis rebus dederimus, & absque præuiâ vltimâ huius vltimi finis electione aut consideratione iis frui voluerimus: & in hoc consistit peccatorum nostrorum malitia, & deuiatio ab vltimo fine, quæ est æterna salus.

QUARTVM PUNCTVM. Si vtendum creaturis, vel iis abstinendum eatenus est, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt; facile patet, quòd eas considerando in se, ad omnes debeamus esse indifferentes, easque tantum admittere aut reiicere in ordine ad hunc vltimum finem. Qui aliquò proficiscitur, indifferens est ad omnes vias, donec sciat quâ sibi eundum sit; vt & artifex aliquis ad omnis generis instrumenta, &c. Atque sicut isti non se determinant, quia via facilis vel aspera, medicina suauius aut amara est, &c. sed quisque in eo suum finem respicit:

respicit: sic indifferens ego esse debeo quoad honorem vel contemptum, paupertatem vel diuitias, valetudinem bonam vel infirmitatem, longam aut breuem vitam; ex omnibus illis illud tantum eligendo, quod maximè ultimo meo fini respondeat.

Et hic est tertius fructus, in quem collimare, & in quo me hoc die exercere debeo; conando nempe à me remouere omnem ad res particulares affectum, & ad omnes creaturas me indifferentem reddere.

Ex omnibus his patet, quòd hoc sit fundamentum & principium totius vitæ spiritualis. vnde & constat Primò, quàm debeat esse homo erga Deum sincerus & iustus. Secundò, Quòd omnis confusio ex nimio & inordinato creaturarum amore proueniat. Tertiò, Quòd à nobis omnem erga creaturas affectum remouere, & ad omnes indifferentes esse debeamus, quòd facilius ad vltimum finem pertingere possimus.

Omnia

Omnia Exercitia, de quibus posthac agemus, vsque ad postremum, quod est de perfectione, alicui horum principiorum innituntur.

Principium & fundamentum accommodatum vitæ religioſæ.

Quod in genere de omnibus dictum est, facile Religiosus suo statui accommodabit.

Primò, Finis Religiosi SOCIETATIS est, quærere propriam & proximi sui salutem & perfectionem.

Secundò, Media omnia quæ in Religione sunt, ad hunc finem diriguntur; partim ad perfectionem propriam, vt sunt Oratio, Sacramentorum frequentatio, &c. partim ad perfectionem proximi; qualia sunt studia, ministeria, &c. Vnde apparet qualis debeat esse perfectus Religiosus, qui totam suam intentionem positam habet in debito fine; & alia omnia media eò dirigit.

E Tertiò,

Tertiò , Eatenus Exercitiis & occupationibus vti , vel ab iis abstinere debemus , quatenus nos iuuant , vel impediunt , in nostrâ seu proximi perfectione. Et hinc facilè constabit , quàm procul à recto deuiemus , si occupationes , & ministeria , & habitationem , non propter istum finem , sed pro libitu nostro , inclinatione , honore , sensu & commodo eligamus.

Quartò , Sequitur , quòd , quantum in nobis est , ad omnem habitationem , ministeria , & omnis generis occupationes , indifferentes esse debeamus : & hæc est nobilis illa indifferentiæ virtus , quæ tantopere in SOCIETATE commendatur , quâ , ad conformitatem cum Dei voluntate , à sanctâ Obedientiâ suaviter nos regi permittimus.

SECVN-